De

ORATORIS TULLIANI

codice Laurentiano

disseruit collatumque protulit

Henricus Rubnerus
gymnasii professor.



Commentatio addita tabulis publicis
Gymnasii Spirensis
a. MDCCCLXXXII.



Spirae
typis expressit L. Gilardonius
a. 1882.

Ante hos annos quattuor C. Halmius, quem virum doctissimum atque humanissimum honoris causa nomino, roganti mihi Oratoris Tulliani codicis in bibliotheca Laurentiana asservati misit exemplum a Kleitnero, collega doctissimo, exaratum. Nam cum in Ciceronis versarer legendis libris rhetoricis, ex Goelleri libro (M. Tulli Ciceronis ad Marcum Brutum Orator rec. et ill. Fr. G. Lipsiae 1838), quem ipsum mihi ille ex libris biblioth. Monac. miserat, cognoveram codicem primum plutei quinquagesimi bibliothecae Mediceae Laurentianae cum alia scripta continere tum Oratoris exemplum ut nondum collatum, ita, si Orellio, quo fere nemo erat scriptorum Tullianorum peritior, habenda fides esset, quod conferretur dignissimum: quem codicem duabus constare partibus, quarum una esset saeculi XIII., altera saec. XV.

Oratoris enim librorum scriptorum duplex esse genus constat, alterum mutilorum, alterum integrorum. Horum archetypus quomodo et repertus et transcriptus sit, narrat Blondus Foroliviensis in Italia illustrata, ubi de Romandiola agit, pag. 346 ed. Basil. a. 1559, qua de re conferendum est, quod dicit Lagomarsinius in Bandinii Catal. Codd. latt. bibl. Medic. Laurent., Florentiae a. 1775 edito, Tom. II, p. 494 seq. Ubi quod ille multiplicatis trium de Oratore librorum exemplis »omnem Italiam desideratissimo codice repletam esse« dicit, idem in Oratoris exemplaria cadere inde facile intellegitur, quod praeter hunc librum, de quo agere nobis propositum est, Orator continetur duodecim ipsius Laurentianae bibl.cod icibus integris, quos enumerare licebit.

a) Plutei L.:
   1) Codicis IV. pars I.
   2) Cod. XIV. pars III. (cum scholiis Angeli, ut videtur, Politiani)
   3) Cod. XVIII. pars II.
   4) Cod. XIX. pars I.
   5) Cod. XXI. pars I.
   6) Cod. XXII. pars I.
   7) Cod. XXV. pars I.
   8) Cod. XXXI. pars IV.
   9) Cod. XXXVI. pars I.
   10) Cod. XXXVIII. pars III.

Hi libri praeter codicem XIV. membranacei omnes*) a Lagomarsinio, qui incredibili quadam sedulitate ad apparatum quem vocant, criticum constituendum permultos contulit Ciceronis rhetoricorum codices, et collati et numeris designati sunt.

b) Plutei
   LXXXX. Super. Cod. LXXXVIII. pars IV. (Cod. chartaceus, qui omnia opera Cic. rhetorica complectitur).

c) Plutei
   LXXXXI. Infer. Cod. VIII. pars III. (Cod. membranaceus in 4).

Ex his plutei L. codicibus eos, qui numeris XVIII. et XXXI. designati sunt, praeter ceteros qui conferantur dignos esse affirmat Orellius in editionis illius, qua Oratorem, Brutum, Topica, de Opt. G. Orat. denuo recensuit (Turici a. 1830) pag. CXX. seq. In illius codicis XVIII. calce legitur: »Cosmae de Medicis. Hoc opus absolvi feliciter die primo Octobris MCCCCXXIII.

ego Jacobus Antonii Curli Januen̄ (i. e. Januensis) Florentiae«.

Qua ex subscriptione, quam G. Vitellius, cuius viri doctissimi et humanissimi opera usus sum singulari, recte a

*) Cod. XIV. chartaceus . . . nulla Lagom. quidem epigraphe, sed nota tamen numerica 93 distinctus (Bandinii Cat. l. l. p. 509).

Bandinio (l. l. p. 510) adnotatam esse confirmavit, hunc codicem esse in numero antiquissimorum Laudensis archetypi exemplorum facile apparet; nam pervetustum illum codicem ab Landriano, episcopo Laudensi, anno 1422 (aut 1420 cf. Eos II, p. 351) »multis maximisque in ruderibus« repertum esse constat. Idem »Jacobus Curlus Januen.« Romae absolvit XVI. Kal. Octobr. MDCCCCXXV. pl. L. cod. XXXII. de Oratore libros III continentem. Codici autem eiusdem pl. XXXI. subscripta sunt haec verba: »Scripsit Poggius Martini Papae V. Secret. Valeas qui legis.« Poggius, qui »complures codices transcripsit grandiuscula accuratissimaque scriptura« (Band. l. l. p. 518) quanto gaudio Landrianum codicem illum de Oratore libros, Brutum, Oratorem complectentem »maximis a ruderibus in lucem extulisse« audiverit, ex epistolis ab eo Nic. Niccolo scriptis intellegitur.

Praeter hos codices integros liber mutilus in pluteo L. bibl. Laur. asservatur, de quo haec leguntur in Band. catal. p. 519:

Cod. XXXIII. II. *(pars II.)* Fragmentum libri, qui inscribitur »Orator ad Brutum«, a verbis: »Tertium quod restat huius partitionis, ingenium est, Q. Frater, multo subtilius *(huc usque lineola deleta sunt)* multoque robustius, quam hoc humile, de quo dictum est.« Itemque p. 493, ubi biblioth. Riccardianae codex quidam, qui idem continet de Oratore libr. fragmenta et Partitiones Orat., commemoratur, haec leguntur: »Oratoris fragmentum, cuius initium est in illis Capitis XXVI. verbis: »Tertium quod restat huius partitionis ingenium est Q. Frater multo sub*limius* multoque robustius« etc. quorum quidem verborum non nisi postremum Ciceronis est; priora ex suo, sive ex nescio cuius ingenio librarius attulit.« Illa autem verba cod. XXXIII. »Tertium . . . . subtilius« a manu altera, ut mihi Maassius adnotavit, deleta sunt ab eademque suprascriptum est: »fragmentum opusculi quod inscribitur Orator ad Erutum cuius initium: utrum difficilius *Ac* maius.« Ab iisdem verbis »multoque robustius« et ille codex, qui Vetus Stephani dicitur, orditur et aliquando orsus esse videtur cod. Erlangensis, qui

nunc incipit a verbis § 100: »subtiliter et alta« (cf. Hörner, Progr. d. Stud. Zweibrücken 1878, p. 5). Subscripta sunt huic fragm. ab altera m. verba: »Liber Cosmae Johannis de Medicis«.

Roganti mihi Maassius, quem virum doctissimum supra dixi, summa diligentia et huius codicis mutili initium (§§ 91—101) contulit integrum et exscripsit nonnullos quos notaveram locos et ex hoc codice et ex libro illo ab Antonio Curlo a. 1423 transcripto: quam collationem quamvis mancam addendam mihi esse statui huic commentariolo. Idem, collatis compluribus ceterorum quos supra commemoravi codicum lectionibus, esse illos ex Laudensi ad unum omnes transcriptos confirmavit.

Sed haec hactenus: redeamus ad illum codicem, unde exorsi sumus orationem. Quem cum Orellius primum dicat qui conferatur dignum esse, e quo solo certiore ratione possit iudicare sequens aetas de interpolationum genere toto, tametsi interim e codice Abrincensi, de quo infra agetur, excerptae lectiones prolatae in medium sunt, tamen eius lectiones varias, praesertim cum et Halmius et J. Müllerus, viri latinarum litterarum peritissimi et quos summa prosequor veneratione, ne rem omitterem, admonerent, divulgandas mihi esse existimavi. Quod quidem munus nisi denuo excussis codicis lectionibus nullo pacto perfici posse ac persolvi certa mihi exstare videbantur indicia.

In qua re cum facultas accuratius in hunc codicem inquirendi nulla esse videretur, sollicito mihi obtigit, ut Vitellius Florentinus, cui viro et doctissimo et benignissimo maximas debeo semperque debebo gratias, grave munus ac molestum lectiones codicis integras exarandi summa susciperet facilitate: quod haud magno temporis spatio interiecto mira quadam diligentia perfecit. Sic factum est, ut codicis, cuius generis illum novimus unum, viris doctis praebeatur usus.

Complectitur autem codex has partes (cf. Band. l. l. p. 481 seqq.):

I. (fol. 1 seqq.) M. Tullii Ciceronis Rhetoricae ad Herennium Libri IV.

II. (fol. 24b seqq.) Eiusdem Inventionum Rhetoricarum Libri II (cum scholiis marginalibus Anonymi).
III. (fol. 55 seqq.) Eiusdem de Oratore ad Q. Fratrem Libri III (cum scholiis marg. Anon.)
IV. (fol. 93b seqq.) Eiusdem Orator ad Marcum Brutum.
V. (fol. 110 seq.) Eiusdem de Optimo Genere Oratorum Liber, seu prooemium interpretationis Orationis Demosthenis et Aeschinis (cum scholiis marginal.).
VI. (fol. 112 seqq.) Eiusdem de Officiis ad M. Ciceronem filium suum libri III.

His verbis excerptis ex Bandinii catal., quippe cui fidem habendam esse affirmet Vitellius, ad describendam codicis speciem et habitum idonea haec mihi visa sunt addenda (cf. Band. l. l. p. 486 sq.):

»Hic Oratoris Liber ab duplici manu perscriptus est, antiquiore altera, altera recentiore. Antiquior initium scribendi facit in illis Capitis XXVIII. »tia mihi persuasisset, ut se dimitterem« etc., recentior priora supplevit. At vero Capite LVII. omittuntur illa »paeon habeat tres breves« etc. cum reliquis usque ad illa Capitis LXIX. »semper versetur genere« etc., qui quidem defectus iis omnibus Codicibus contigit, in quibus principium huius codicis intercidit.

Codex membranaceus Ms. in fol. Saec. partim XIII. partim XV. binis columnis exaratus et ab H. Lag. (i. e. Lagomarsinio) collatus die 9. Julii 1740 et in Classe Rhetoricorum Ciceronis num. 32. designatus. Constat foliis scriptis 146.«

Leguntur deinde haec p. 500 seq.: »Frequentes correctiones ubique occurrunt, sed ab nova ferme manu; quarum non omnium, utpote saepe ineptarum, ut eas corruptiones potius quam correctiones possis dicere, rationem habuimus. Hic autem corrector ita non nunquam probas quasdam voces plane mendosis, licet antiquis, substituit, ut emendatis ipsis, quas adfert, vocibus notulam significantem *alias* aut *vel* praemittat sive etiam inscribat. — Abundare autem hunc Codicem plurimis mendis confitendum est, sed ita tamen, ut in iis *vera lectionis saepe vestigia quaedam appareant.*" —

Ea igitur codicis pars, quae Oratorem continet, lacunosa est; nam desunt omnia, quae in integris codd. scripta sunt a § 191 verbis »habeat tres breves« usque ad § 231 verbis: (ver) »setur genere numerorum,« qui defectus a manu recentiore sic adnotatur in margine: »Hic est defectus«; quae eadem manus § 191 extremis litteris *pe* litt. *an* vocabulum completura adiunxit. Ex tribus autem partibus Oratoris codicem constare apparet, quarum antiquissima est illud fragmentum, quod exorsum ab eis, quae leguntur § 100: (eloquen) »tia mihi persuasisset« eis quae supra dixi paragraphis XXXX omissis continuatur usque ad libri finem. Litterae huius codicis partis minusculae, angulatae, atramento nigro colore confectae, ita sunt anguste scriptae, ut, cum ab eo librario, qui priorem codicis partem exaravit, triginta duobus fere versibus eis, qui sunt in edit. Turic. alt., singulae paginae impleantur, duodeseptuaginta fere versus eiusdem editionis contineantur singulis paginis. Quod quidem librarius non potuit facere, nisi permultas syllabas aut vocabula notis quibusdam significasset, e quo numero magno paucas memorabiles satis erit proponere: ꝓ'uꝫ (= proprium § 121); lr̄e lr̄is lr̄as vel litt'a vel l'rarum (= litterae etc.); n̄a (= natura, sed = nostra, ut videtur, § 165) cā vel c'a (= causa); ∂'ι (§ 175 = dicitur?); a pro partic. aut aliquotiens invenitur etc. etc.

Ac de scribendi proprietatibus fragmenti nostri haec sunt quae notentur digna. Non solum pro *ae* saepissime scripta invenitur litt. *e*, ut que, hec, celo, due, mee, palestram, equalem, penitet (§ 130), obscenius (§ 154) etc., sed etiam nonnunquam pro *oe*: cepimus (§ 107), cepisset (§ 129), Penos (§ 153), tragediis (tragedum, comediis § 109). Deinde librarius sic solet scribere: adolescens, paulo (sed § 232: immutata paullulum?), quotiens, cotidie, quicquid, quicquam, intelligere, negligere (sed neglegat § 137, neglegenda § 162); tum et contio et concio legitur; adde huc: conditione (§ 235); denunctiet (§138), pronunctiant (§ 170), necsciunt (§ 142), lictere, licteram (sed plerumque lr̄e etc.); hystriones (109); eiciuntur, abiciendis, conicitur, subiciet; coherceat, habundabit, (§ 134); convitium (§ 159)

sacietati (§ 174); sequutus (§ 174, sed secuntur § 232); expectant (§ 168), execretur (§ 138, sed exspectatione § 107 et sic plerumque). Nonnunquam simplex litt. consonans posita est pro duplici aut dupl. pro simpl.: opportet (§ 139, 158), summamus (§ 133), colocatorum (§ 134), imo (§ 164). Nomina propria et vocab. graeca, quae ad unum omnia latinis litteris scripta sunt, male haud raro mutata sunt: pōmam (§ 105 pro P*amm*e*ne*), Lisiae, Leptitem (§ 110 pro Lepti*n*em), Crisippi (§ 115), Jeronymus (pro *Hi*er. § 190), pirrum (§ 160); perypatheticorum, phisicorum, carather (pro χαρακτήρ § 134), heticon (pro ἠθικόν § 128). Syllaba terminalis *is* (pro *es* acc. pl.) non invenitur, sed in vocab. omnes, artes, aures, quales syll. *es* saepe a manu recent. in *is* mutata est. Pro pron. *eis* non raro vel *his* vel *is* legitur, *i*sdem pro *ei*sdem. Praepositio in consonantem litt. terminans ubi concurrit cum verbo a conson. incipiente, assimilatione ita utitur librarius, ut semper scribat: afferre, afficere, affirmare, arripere, arrogantia, assequi, asseverare, assidere, assumere (adsumere § 113?). —

Priusquam autem, qualis sit huius fragmenti natura ad cuiusque ex codicibus mutilis proxime accedat similitudinem, ostendamus, qui et quales sint Oratoris mutili codices et noti et collati, videamus.

a) Codex Abrincensis, cuius saeculo, si doctis viris habenda est fides, nono scripti lectiones Ravaissonius protulit primus anno 1841 addita ad: »Rapports au ministre de l'instruction publique sur les bibliothèques des départements de l'Ouest.« Neque tamen ab illo ipso hic codex omnium antiquissimus collatus est, sed ab collegii Abrincensis professore, cui nomen est Le Héricher. Eiusdem codicis fragmenta (§ 105—115; § 134—154; § 168—187; § 237 seq.) contulit Schneidewinus Gottingensis, quam collationem Halmio auctore atque interprete Fleckeisenius Dresdensis summa comitate et humanitate mecum communicavit. Transcriptas autem lectiones paragr. 154—167 Heerdegenius Erlangensis, qui integram confecit codicis collationem, ea qua est humanitate roganti mihi misit.

b) Codex Gudianus 2, h. e. particula codicis Wolfenbuttelani foliis maximis 256 constantis saec. XIV. in Gallia scripti, quod ingens volumen scripta XXVI maximam partem Tulliana complectitur, de qua re conferenda est Halmii commentationis »zur Handschriftenkunde der Ciceron. Schriften«, München 1850, pag. 7. Eius codicis nihil mihi in manu est nisi collatio Kleinii, quam divulgavit Goellerus in ea quam supra dixi Oratoris editione (p. 469 sqq.), qui tamen Schuetzio auctore nomen ei indidit Guelferbytano (Gu.) 3.

c) Codex Erlangensis 39, quem J. Muellero auctore Chr. Hoernerus (Programm der k. Studienanst. Zweibrücken 1878) summa denuo contulit diligentia.

d) Vetus (codex Caroli) Stephani, cuius lectiones editioni Steph. Parisiensi a. 1555 adiectae et a Meyero (M. Tullii Ciceronis Orator, Lipsiae 1827) prolatae sunt.

Nam codicis Pithoeani, codd. duorum Palatt., codd. mut., quibus Lambinus usus est, pauciores notae sunt lectiones, quam quorum ratio habeatur.

Illorum codicum Abrincensis ut non solum est antiquissimus, sed etiam minus ceteris mutilis mendosus, ita ex eodem eum quo ceteros libros mut. fluxisse constat. Et de huius codicis natura et de Gudiani Erlangensisque C. Stegmannius, etsi et Schneidewini collatione libri Abrinc. manca et collatione Hoerneri cod. Erlang. integra carebat, satis recte mihi videtur iudicasse; qui in dissertationis inauguralis (de Oratoris Tulliani mutilis qui dicuntur libris) p. 10 seqq. haec disserit: »Satis igitur accurate hic liber scriptus est, neque est omnino, cur tantopere ab editoribus ut corruptus et interpolatus respuatur. — Longe vero alia res est in libris Erl. et Gud.: qui etsi ex eodem fonte ex quo Abr. fluxerunt, tamen qui eos scripserunt valde neglegenter et ex arbitrio suo versatos esse nemo non videt.« Rectissime autem ita distinguit Gudianum ab Erlang., ut huic, qui multis locis interpolationibus et additamentis corruptus sit, illum multo praeponat. Neque tamen negandum est Erlang. cum permultis locis exhibere veras lectiones tum solum ex notis et collatis libris alteram tradere partem enuntiati § 185 ab verbis

»ut multis saeculis« incipientis; de qua re infra disputabitur. Vetus autem qui vocatur Stephani proxime accedit ad cod. Erlang. similitudinem.

Sed libri L[1] (sic enim, ne quis hunc librum cum Monacensi confundat, malo significare illum quam M[1]) indolem perquirentibus nobis facile apparebit hanc codicis partem mirum in modum esse mendis impletum. Quam rem ut veram esse, probem ex multis vitiis, quae in ceteris libris mut. non inveniri videntur, pauca commemorare satis est:

§ 108 *huius modo* (ceteri vel *hoc modo* vel *huiusmodi* tradunt); § 115 *tacenda* (cett. *tenenda*); § 135 verba *aīa* (i. e. *anima* pro: *autem*), deinde *uertitur* est in ead. § pro: *uersum* vel *uersus*; § 140 *uoluisse iuxta* (pro: *noluisse iusta*); § 147 u'ppe (i. e. *ueri prope*) pro: *utpp'e* (i. e. *ut proprie* A G E); § 155 *portemii* pro: *portentu*; § 175 *conficiendus est* (*confitendum est* A E, *confitendum* G); § 176 *enim audacior* (*autem avidior* A E *enim avid.* G); § 178 *admonitionesque* scripsit libr., cum oculus aberraret ad praecedens vocab. *admonente*); § 190 *plenosque senatores* (pro: *plerosque senarios*) et infra pro: *corrector* — *correptor*; § 235 *copias* (pro: *scopas*) etc. etc.

Huc accedit, quod saepenumero vel litterae vel vocabula omittuntur: sicut a verbis § 165: »in huius concinnitatis« usque ad verba § 174: »occurreret satietati«, nisi fallor, et duodecim litterae desunt vel singulae vel coniunctae et undecim vocabula singula et quattuor verba coniuncta. Ad quem omissionum numerum proxime accedit Erlang., in cuius eisdem paragr. et novem litterae vel sing. vel coni. et quattuor verba coni. desunt. Perpauca desunt in cod. Abrinc., in Gudiano, vocabulorum numerum si respexeris, multo plura verba coniuncta omissa sunt (ut § 166 desunt omnia a v. »versum« usque ad v. »obest«), neque tamen pluribus quam quinque locis omissum est. Redundant quoque saepius et litterae et vocabula, velut in eis ipsis quas supra dixi paragr. omissis eis mendis, quae huic libro communia sunt cum aliis mut. (ut *est* § 165 post voc. »lex«, *cum* si etiam § 170, cura*t* ut A § 173, varieta*tis* A, in quo litt. *ti* superscr. s., § 174), haec superfluunt: § 165 script*ura*, § 166

in quam — obest *ueorum* num. § 167 colligentur (?), § 169 inventa*m* conclusione*m*, § 171 Fauni*us*, § 172 hui' (i. e. hui*us* pro: hoc).

Sed codicem cum aliis mendorum generibus abundare tum errorum, qui in l. mutilis esse solent, plurimis esse vitiatum ut intellegas, particulis quibusdam codicum Laur., Abrinc., Gud., Erlang. inter se comparatis facile fiet.

§ 112 L^1 ab hoc parumper abe*as*	A ab hoc p. abeamus G *adhuc* p. *h*abeamus E ab hoc p. abeamus
L^1 nichil *non* precipiendi	A nihil *non* (voc. *nos* superscr.) praec. G nichil non *per*cip. E nihil nos praec.
L^1 existimat*ione* — magist*erio*	A existimat*ione* — magist*erio* G e*xt*imat*ione* (solito errore) — magist*erio* E existimat*ione* — magist*erio*
L^1 uide*a*mus non te *hoc* solum esse	A uidemus non te *hoc* s. esse G uidemus n. t. haec s. esse E uide*a*mus n. t. *hoc* solum (esse om.)
L^1 esse igitur *persequi*	A esse igitur *persequi* G esse ig. perfecte E *rem* ig. *persequi*
L^1 eam *tamen* habere fac. (*fac. habere* int.)	A eam *tamen* habere fac. G eam *tamen* h. f. E eam *tantum* h. f.
L^1 sed *causam* adsumere (assumere? verbis *etiam* — *scientiam* om.)	A sed *eam* assumere G sed *eam* ass. E sed *causam* ass.
L^1 a*t*tamen utrumque *est* in disserendo	A ac tamen utrumque in di*s*erendo G a*t* tamen utr. in disserend*um* E a*t*tamen utr. disserend*um* (voc. *in* om.)
L^1 et *est* loquendi	A et *e*loquendi G et *e*loquendi E et loquendi

L^1 *enim* deduxerat (?)	A autem d*e*duxerat G *licet* d*e*duxerat E autem d*e*duxerat
(cap. 49) § 162 L^1 *u*erum	A rerum G it. E it.
L^1 prudenti*a*	A *in* prudenti*a* G prudentiae E *in* prudenti*a*
L^1 uolu*n*tatem	A uoluptatem G it. E it.
L^1 *uidebamur* (*volebamus* int.)	A uidebamus G it. E videbamu*r*
§ 163 L^1 nunc de sono *nunc de sono* quaerimus ut (om. voc. *uerba*)	A nunc de sono quaerimus. Uerba ut G nunc de s. quaer*a*mus. Uerba ut E n. d. s. quaerimus. Uerba ut
L^1 supera*d* *m*olum a*d* *auricos* *lo*corum	A supera*d* *m*olum a*dauricos* *Locor*x G superat modum at *auricos* *lo*corum E superat modum a*u*t *auratus alles bolcorum*
L^1 pro*tin*us inq. i. *la*tera fini*tus*	A prox*u*mus inq. i. littera fini*tus* G proximus i. i. littera fini*tus* E it.
L^1 fert*u* arua Asie ten*t*et	A ferta a. Asiae tenet G it. E it.
§ 164 L^1 ego ist*a* *t*erricrepam *fidem*	A ego ist*a* *p*erricrepam *fidem* G ego istam *t*erricrepam *idem* E ego *ita* *ter*icrepam *fidem*
L^1 *et* fini*a*ntur aut ipsa compositione	A *et* fini*a*ntur aut ipsa comp. G *et* fini*a*ntur a. i. c. E *ut* fini*a*ntur *alterum* (ex praec. voc. repet.) *ut* ipsa comp.
L^1 *ut* qu*e*dam gener*a* verborum quibus (voc. *in* et *ipsis* om.)	A *ut* qua*e*dam gener*a* v. quibus ipsis G aut qu*e*dam gener*a* quibus ips*a* E *oratio intescat ut sunt* qua*e*dam gener*a* v. quibus ips*a*.

Quae cum ita sint, tamen permultis locis codicem una cum ceteris mut. veram tradere lectionem neminem fugiet accuratius in collationem huic commentationi additam inquirentem: quos locos sanos plures exhiberi a l. mut. quam soleat existimari infra me demonstraturum spero.

Nonnullis autem locis codex cum uno aliquo ex l. mut. veram exhibet lectionem: § 107 A E praebent: *sic* adolescentis, L[1] G *sicut* ad. Nam falso, si Kleinio fides habenda est, Stegmannius (l. l. p. 9) adnotavit: »sic Abr. *Gud.* Erl.«, in quod errorum genus incurrit aliquotiens, ut sub illa verba — in Gud. enim est § 122: *pauca traditi sunt* omissis v. »sint . . . pauca sunt« — et § 111, ubi A E quoque praebent: »multae totae« (cf. l. l. p. 34), et § 94, ubi voc. *decet* (pro *licet*) Steph. et Lamb. in suis uterque codicibus invenisse videntur (quod idem est in Laur. plut. 50 cod. 33). Deinde § 110 exhibet le*u*itate (le*n*itate G E) et § 135 *utrumque* (*in* utr. E) cum cod. A. Itemque L[1] et G soli veras praebent lectiones et § 177, ubi est *mensione* in codd. A E, et § 187, ubi acci*p*ere pro: acci*d*ere A, acci*pi tum* E tradit.

Praeterea § 112 unus veram mihi servare videtur lectionem: »qui ea docere vide*a*mur«, qua de re recte opinor iudicavit Stegm. (l. l. p. 17 seq.), itemque § 141 unus ex l. mutilis veram vocabuli formam exhibet: *exi*stimator (cett. *ae*stim. vel *e*st.), et § 165 in codd. A G E est: »ex n. ips*am*«, in L[1] legitur: »ex n. ips*a*«. Meliorem quoque tradit lectionem L[1] quam G E § 128: »ad natur*as*«, (A quid praebeat, nescio); deinde in eadem § haud scio an recte a codice exhibeatur (una cum Erl.): ben*i*volentiam (cf. C. F. W. Mueller, M. Tulli Cic. scripta, p. II. vol. I. p. IX); denique in cod. lectione: »qua*m* tempestate« (»tepest.« male tradit cod.) dubito an vestigium veri insit: »qua *in* tempestate«, qua de re agit Ellendtius, de Orat. l. III, vol. I. pag. 575 (III, § 219).

Sed ne multus sim in re nec dubia nec ad diiudicandum difficili: id quod pertractavimus codicis fragmentum ut ab exemplo et Gudiano mendosiore et multo Abrincensi vitiosiore, etiam Erlangensi neglegentius transcriptum est, ita eis cum interpolationibus tum maxime additamentis minus est corruptum,

quae in Erlangensi (et Vet. Steph.) non pauca oculis occurrant: cuius rei nonnulla afferam exempla.

§ 103 L[1] tradit verba: uel nota esse accusarentur uel opes possent legere, E: vel *his* nota esse qui accusarentur *aut defenderentur* vel *per se* possent legere. Quae menda fuerint in cod. archetypo, facile cognoveris ex eis, quae exhibet (ed. Turic. alt. si fides habenda erit) Abrinc.: uel nota e. *accusarent* uel possen*t* *l*egere. Haec lectio interpolata quomodo sit in peius mutata in Laur., quis est quin intellegat? Sed multo magis sunt verba in cod. Erl. a grammatico nescio quo vitiata eorum more aequalium, qui, quae ipsi quamvis perperam excogitaverunt, ea verbis substituunt traditis. Idem factum esse videtur § 105, ubi tradit L[1] haec: »cum eius studiosissimo pomam, cum esset Athenis, totum« etc., perverse quidem eo quod scriptum est et *pomam* et ess*et*, sed quanta est in Erlangensi et verborum et sententiae corruptio! a quo praebentur verba: cum *ei* studiosissim*e* *palmam*, cum esses Athenis, *attribueres*, totum etc. (V St praebet similia: cum eius studiosissimo *palmam*, cum ess*e* Athenis, *attribueres*, totum etc. Quid? quod § 106 verba: »orationis aures (auiris L[1] G una linea redundante) civitatis accepimus« a librario aliquo latinitatis non plane imperito ita commutata inveniuntur in Erlang.: »orationis *actiones a iure* civitatis *nostre* accep.« (V St: or. *actiones in eis* civitatis *nostrae* acc.). Illa quidem verba § 168: *etiam alatinis* inter voc. »cogniti« et »genus« male inculcata etiam a plurimis l. integrorum exhibentur (non a codd. L A G), sed non pauca alia sunt, quae quod de Erl. natura supra dixi verum esse demonstrent, ut et eae quas in p. 13 adnotavi lectiones § 163: »aut auratus alles bolcorum« ac § seq.: »oratio intescat ut sunt quaedam genera v. quibus ipsa«, et quae leguntur § 154: quid, illud *nollet pro non vellet* et § 155: atque etiam *alia sunt pro contractione a quibus* sero (L[1] G: atque etiam *a quibus* sero, de cod. Abr. non liquet), et infra: *avis* (pro: cives, L[1] ciu*i*s) etc. Neque tamen dubium est, quin meliora Erl. non solum haud ita raro tradat quam Laur., sed etiam nonnunquam ceteris mutilis praeferenda; quod paucis demonstrabo exemplis:

§ 110 Erl. rectissime tradit: cuius nuper inter imagines tuas ac tuorum, L[1] *cui* nuper inter *y*magines t. *aut* t., A G cuius n. i. im. t. *aut* t., et infra Erl.: *ex* here (i. e. ere), L[1] e ere, A G aere; § 112 praebet Erl.: nihil *nos*, L[1] G nichil *non*, A nihil *nos* (sed voc. *non* superscr.); § 141 est in Gud. et Erl.: profit*ear*, in L[1] A VSt profit*eatur*; § 169 leguntur in Erl.: post inventa conclusio est, qua *scio* . . . si iam . . . res esset, in L[1] post inuenta*m* conclusio*nem*, qua *uero* . . . *suam* . . . res esse*nt*, G vera tradit nisi extremis voc. in *re* esse*nt* mutatis, A in hoc uno errat, quod *uero* tradit pro *credo*.

Haec fere de huius cod. partis indole ac natura erant notanda, quibus, quod quidem ex Abrinc. magis elucet, suo iure Orellium dixisse probatur (in edit. a. 1830 p. CXV.): »Sed quatenus has interpolationes nunc novimus, vix tribui possunt saeculo XIII., quo ille (Med. Plut. L. Cd. 1) exaratus est; verum ad rhetorem aliquem fortasse Gallicanum saeculi quarti aut quinti referendae videntur.«

Transeamus nunc ad ea, quae corrector quidam perpetua libri mutili emendatione perfecit, h. e. ad cod. L[2]. Quae si quis inspiciet, primum quidem cod. Laudensis aliquo exemplo imitatione expresso ingentem ab eo manus antiq. mendorum numerum esse emendatum facile intelleget. Neque tamen ita raro factum est, ut corrector, sive neglegenter agens rem sive, id quod plerumque factum esse videtur, librum suum secutus, aut non correxerit menda a manu ant. tradita aut falso quae illa manus praebet mutaverit. Cuius rei notabilia quaedam exempla licebit proferre et ea quidem priora, quae in codd. integris accuratius collatis, i. e. in Eins., Vit., Dresd., Gu. 1. 2. (h. e. Gud. 38. et Aug. 12. 13.) non inveniuntur.

Neglegentiae esse videtur, quod § 112 voc. *iam* in *tam*, § 120 *memorie* in *memoria*, § 122 *ipsa equidem* (i. e. ipsae quidem) in *ipse equidem* mutavit, *dicendi* autem § 114 et *concurrunt* § 115 et *(in) qua*, quorum mendorum primum in nullo cod., alterum et tertium in Erl. sunt, non correxit. Perverse deinde § 134 *quod ea* mutavit in *quod eas* (idem legitur in editt. Venetianis, Gu. 1. praebet *quod et*). Mirum

est, quod § 141 m² voc. *regiones* superscripsit: vel *rationes*, 144 voc. *retineri* recte tradito: vel *retinere;* deinde et falso distinxit § 142 in marg. adscribens: *cura ut (discere)*, neque *discendentibus* aut *percipere* § 143 neque *oculis* § 150 neque *quamquam* seq. § emendavit. Male § 151 et delevit litt. *i* voc. *isocrates* et *oratione* expunxit, deinde § 155 superscripsit vocabulis *aut in*, aliqua ex parte corrigens, *aliter (aliter in* l. integri, ut videtur, omnes), et § 156 simili modo *non nunc* mutavit in *non nun* atque ante *quid* voc. *et* inseruit, ceteri int. in eo solum errant, quod *et qui* tradunt pro *atqui*. In voc. *non nolet* § 154 (L¹ *non uolet*) unde error ortus sit, facile cognoscitur. Quid? quod § 152, etsi in marg. recte a manu eadem scripta haec leguntur: *illae .... indicant*, antecedens voc. *indic.* mutavit in *iudicant*, § 158 voc. *noluerunt* in *uoluerunt*, § 159 *eadem* in *ab eam*, deinde ibidem voc. *prima* superscripsit: vel *parma*, § 168 ex voc. *effingebant* corrigendo fecit *erig.*, § 176 *se si* ex *sese*, seq. § *sit* ex *sic*, § 190 autem voc. *plenosque* non emendavit? Postremo § 233 deleta voc. *quadrigam* littera *g* formam substant. effinxit, quae in nullo Orat. codice inveniri videtur. Haec fere sunt, quae solus, quod ego sciam, corrector mendose scripsit; sed aliquanto plures ei sunt errores vel cum uno ex codd. int. vel cum nonnullis vel cum omnibus communes, e quo numero pauca exempla depromere satis erit insignia.

§ 109 m² *et maxime* mutavit in *maximis*, quod idem est in Eins. Gu. 1. 2. (*maxime* Vit. *et maximis* Dr.), § 134 voc. *collatione*, quod praebent Eins., Vit., Tur. Quint., non emendavit, § 135 *exclamatio* mutavit in *explanatio* cum Eins. et Vit., § 140 *non* ante voc. *mouebant* inserendo cum omnibus integris consentit. Quod deinde § 147 voc. *uertat* superscripsit: *vel ad*, legitur in Eins. et Vit. (*vel* Dr. et Gu. 2.), et *repetenda* (pro *reperienda*) Eins. Vit. Dr. Gu. 2. exhibent (*repetita* Gu. 1.). Partic. *que* § 172 vocab. *summi* in Vit. quoque et Dr. et Gu. 1. 2. addita est, et Eins. Vit. Gu. 1. iuxta ac L² § 233 *licet* ante voc. *eamque* inculcant (*licet sent. eamque* Dr. et Gu. 2. exhibent) etc. etc.

Saepenumero autem hic corrector, sive utra lectio, antiq. manus an sui exemplaris, praeferenda esset dubitabat, sive quid in suo esset exemplari ambigebat, sive complura ei erant in manu exemplaria, aut *uel* aut *aliter* addidit vocab. superscripto (cf. p. 7). Et quam incertus nonnunquam fuerit, quomodo essent quae scripta invenisset emendanda, inde apparet, quod tribus locis, nisi fallor, eam quam superscripserat variam lectionem expunxit: § 106 *aut sibi ipse n. v. esset,* § 114 *ergo* (in marg. scr.), § 115 (institut)*um.*

Sed haec hactenus: accuratius autem in codicem inquirentibus nobis cum, quantum manus altera valuerit emendando, videndum sit, facere non possumus, quin, quid de utroque codicum genere statuendum ac iudicandum sit, examinemus. Quae res cum sit maximo ad veram Ciceronis orationem constituendam momento, paulo altius mihi licebit repetere.

Neque in ed. principe Romana a. 1469, quam Kleinius a. 1838 contulit, certa codd. mutilorum vestigia exstant, neque in ceteris edd. saec. XV., i. e. in edd. Venetis a. 1485 (repetita a Kobergero Norimbergae a. 1487) et a. 1492 atque in ed. Mediolan. a. 1490, neque in libris Aldinis, Juntinis, Ascensianis, Gryphianis etc. saec. XVI. ante a. 1555 editis codd. mut., etsi non prorsus repudiati esse videntur, magni tamen momenti ad verba scriptoris constituenda fuisse constat: Carolus Stephanus primus Oratori Parisiis illo anno edito lectiones codicis alicuius mutili adiecit. Post illum Lambinus, vir summae doctrinae summique ingenii, qui in scriptis Ciceronis edendis singulari studio ac diligentia versatus est, ad emendandam vulgatam Orat. scripturam libros mutilos constat adhibuisse. Gruterus deinde in eo libro, nisi fallor, quem Hamburgi a. 1618 edidit, adnotavit lectiones ex duobus Palatinis (Palatt. 1. 2.) mutilis excerptas. Tum Schuetzius in ed. maiore (Lips. a. 1815) permultas Gudiani lectiones ex Heusingeri collatione depromptas in medium protulit. Erlangensis denique collationem integram a Beiero factam illo quem supra commemoravi libro (p. 176—183) divulgavit Orellius: qui tamen adeo sprevit l. mutilorum lectiones, ut ea verba, quae dicat Meyerus (adnotans ad edit suae voc.

et magna § 100): »singula prope verba Ciceronis in his codd. aut plane perversa aut de industria mutata videntur« palmarem esse sententiam affirmet; quibus in verbis involutam esse omnem suam de iisdem codd. et de tota illius libri critica ratione disputationem.

Quam sententiam cum viri docti adeo adamassent, ut, etsi collatio illa Abrincensis, quo archetypus mutilorum omnium accuratissime effictus atque expressus est, a Ravaissonio prolata erat, codices illos »interpolatos« nimis quasi oculis vix auderent intueri, Kayserus, ut erat magno ingenii acumine, inspicere eos ac pertractare ausus parum recte a viris illis quamvis doctis iudicatum esse cognovit; de qua re et in ed. Tauchnitz. vol. I. p. XX. dixit: »quamvis enim volgo ut interpolati (codd. Abrinc, Gud., Erl.) male audiant, complures lectiones minime spernendae ibi inveniuntur« et in libellis Monacens. (vol. 33 p. 439 seq.) ex l. mutilis, quamvis male audirent, bonos capi posse fructus demonstravit. Cuius amplexus sententiam Stegmannius illo quem supra dixi libello et in codd. mutilorum (Abrinc., Gud., Erl.) naturis ac condicionibus perquirendis elaboravit et illos, cum saepe vel veram lectionem vel verae lect. vestigium servassent, multo diligentius, quam ad id tempus factum esset, in vulgata Orat. scriptura emendanda docuit esse adhibendos.

Cui sententiae ut Hoernerus (l. l. p. 1) accedendum esse arbitratur, ita ego re perquisita facile adductus sum, ut illi assentiendum esse putarem. Nam tametsi Stegm., quamvis diligenter in re proposita sit versatus, non suppetentibus maxime copiis ad rem diiudicandam necessariis, haud ita raro, id quod supra commemoravi, a vero aberravit, tamen de re universa quae ille iudicavit vera esse certum mihi ac statutum videtur. Et ne, quos ille locos pertractavit, eos more criticorum percensens longius a proposito egrediar, eas potissimum l. mutilorum lectiones integris codicibus praeponendas enumerabo de eisque paucis disseram verbis, quae, ut ab illo commemoratae non sint, ita eam quam proposui rem oculis subiciant: quas si omnes proferrem, dies, priusquam pervenirem ad finem, me deficeret.

§ 105 pro *quoniam*, quod est voc. in mut., praebent vel *quod iam* vel *quod iam tum* codd. integri. § 117 mutili soli servant et *in* ante voc *species* et *faciat* (sed Dresd., qui nonnunquam solus ex integris mutil. lectionem exhibet, abhorrere videtur a lect. ceterorum: *facias*), quo eodem loco veram verborum collocationem Laur.[1], Abr., Erl. (in quo est *faciet*) praebere verisimile est, sicut § 131: »est fac. etiam«, § 148: »tam durum *se* (sic!) agrestemque«, § 155: »hanc consuetudo licentiam« mutili recte videntur tradere*). § 120 rectissime legitur in mutilis: *nolo ignoret*, in int. est vel *nolo ne ign.* vel *volo ne i.* (Gu. 2. Mon.), sed m[2] nostri cod. *ne* non inseruit, quod considerate an temere factum sit, quis est qui sciat? § 141 *dubitabit* voc., quam lect. et tradunt mutili (*dubitat* G) neque corrector mutavit, haud scio an praeferendum sit voc. *dubitavit*. Quid? quod § 162 pro *reperienda*, quod praebetur voc. a mutilis, in omnibus l. integris *repetenda* (repetita Gu. 1.) invenitur? § 173 integri omnes praebent: *quia* ipsi (Eins. ipsis), sed in Gryphiana 1. primum, deinde apud Manutium et Lambinum legitur, quod tradunt mutili, *quid?* ipsi, quae lectio immerito a Meyero, Orellio, Petero spreta est; et in eadem § ad unum omnes integri perversam praebent lectionem *longitudinem et brevitatem*, in omnibus mut. vera leguntur. Alteram autem illam enuntiati particulam § 185: »quam ratio . . . excogitata« supra (p. 10) commemoratam quamquam Kaysero auctore Stegmannius suo iure vindicavit, tamen admonendum est non solum in Gud. (et Laur.), sed etiam in Abrinc. totum illum locum a verbis *ita in hac re* incipientem omissum esse, quod idem factum est in Gu. 1. 2. Mirum est, quod integrum illud enuntiatum etsi in singulis, quoad nunc quidem scimus, utriusque generis codd. invenitur: in Erlangensi et in Laur. plut. 50 cod. 18 margini adscriptum ab altera manu, quae cum emendationes quasdam

---

*) Sic recte iudicare videtur Stanglius in: „Textkritische Bemerkungen zu Ciceros rhetor. Schriften", p. 15, qui libellus eo ipso tempore, cum haec commentatio typis describi coepta est, in manum meam venit.

tum breviaria orationi addidit, tamen et in editione Mediolanensi a. 1490 et in ceteris ante librum a Petero et Wellero editum legitur. In § 190 mutili omnes, ut videtur, (de Abrinc. non habeo quid proferam) veram praebent vocabuli formam *inquirente* tradentes, in omnibus contra integris, nisi fallor, invenitur *inquirenti*, quod voc. primi Steph. et Lamb. emendaverunt. Initio § 232 quae leguntur in integris *compositio — dissolvat* (dissolvet Gu. 1.) corrupta esse nemo non intellegit, mutili vera omnes (nisi quod de Abrinc. non liquet) exhibent: *compositi — dissolvas;* id unum mirum est, quod Erl., in quo infra solo (Abrinc. ?) *corrumpetur* legitur, exhibet voc. *dissolves.* Male illud § 233 in omnibus int. inculcatum voc. *licet* in nullo ex mutilis collatis invenitur. De lectione § 235 *reperiam ipse* ut recte iudicavit Stegm., nisi quod, quam facete se ipsum illud scriptorum genus circumspecturum Cicero dixerit, exponendum fuit, ita in eo erravit, quod eam Gud. soli attribuit, nam eadem verba sunt in Erl. (et in Laur. leguntur et quin in Abrinc. sint non dubito). In extrema denique § 236 Gud., Erl., Laur. pl. 50 cod. 33 (L[1] *sectari* una littera omissa) exhibent lectionem veram: *spectari aut audiri,* in integris vel *exspectari* (*expectari* Vit.) vel *exspectare (expectare aut audire* Dr.) vel *spectare* invenitur.

Haec et alia sunt addenda eis, quae et Kayserus in eis quos supra commemoravi libellis Monac. et Stegmannius in illa dissertatione inaugurali disputaverunt, omissis eis locis, ubi mutili vel cum uno aliquo vel cum compluribus ex integris consentientes vera praebent: quorum si haberem rationem, vix facere poteram enumerandi finem. Ex eo efficitur Meyerum et Orellium, »non audentes fere quidquam recipere ex codd. mutilis, quum singula prope verba Ciceronis aut plane perversa aut de industria mutata videantur«, minus recte iudicasse, sed, quamvis non paucis locis quae exhibeantur a codd. mutilis corrupta sint, tamen ubi ita inter se dissentiant utriusque generis codices, ut utraque lectio et integrorum et mutilorum possit tolerari, non involandum esse in ea quae illi praebent, sed vim singularum lectionum, sive sint codd. integrorum sive mutilorum, et ad contextum orationis et ad scribendi consuetudinem Tullianam esse revocandam. Neque

tamen est, cur acerbius in illos invehamur, quippe cum nostrae aetatis viri, ne Abrincensis quidem collatione divulgata, codd. mutili quantum ad emendandum Oratorem valeant cognoverint. Quae cum ita sint, pluribus quam existimari solet locis, vel integris omnibus consentientibus vel eorum parte, a manu altera ea quae tradit manus antiquior falso esse commutata arbitror. Quorum pauca lectori benevolo proponam exempla perpendenda:

§ 131 Cic. animi motus enumerat, quibus sint afficiendae mentes iudicum, singulis verbis paria paribus ita conferens: irascatur mitigetur, invideat faveat etc.; tum vero interrumpitur oratio verbis »satietate afficiatur«, quae non sunt nisi in codd. int. Verum mihi praebere videntur Gud. et Laur. (pl. 50 cod.) 33 (qui § 135 veram praebet lectionem: sursum versum): *tedeat* (L[1] *redeat*, ex quo levi errore mutato voc. ortum est illud cod. Erl.: *rideat*); nam hoc vocabulum, quod illo orationis contextu nihil mihi habere videtur offensionis, a grammatico nescio quo miro vocab. usu offenso locutione illa a Cicerone usurpata (cf. in Verr. V, 100) commutatum est. Quod simili modo factum esse § 120 docet Stegm. (p. 29), ubi Laur. 33 id ipsum praebere videtur, quod ille legi vult: cum *superioribus*, omnes autem mut., nisi fallor, exhibent: nisi *ea* (L[1] nisi *cum ea*) mem. Deinde § 138 veram verbi formam *dicat* mutili omnes servasse videntur eodem modo, quo initio seq. § *sequetur* (sequ*i*tur Eins., sequ*a*tur L[2] Vit. Dr.), quoniam omnia quae autecedunt enuntiata relativa non futuri, sed coniunct. praesentis temp. forma utuntur. Quae futuri temp. forma a verbo sumendi quoque § 122 abhorrere videtur; neque tamen, cum et Gud. *sumentur* tradere videatur neque quid praebeat Abr. sciam, diiudicatam rem volo. Quamquam de hac re, i. e. de vocalibus i, e et a, u syllabarum verbum terminantium, propter librorum perturbationem haud raro nihil statui potest certi, ut § 164 non minus recte a mutilis traditur: compon*a*ntur — fini*a*ntur — *et* fini*a*ntur quam ab integris: componentur — finientur — *sed* fini*u*ntur. Mirum in modum viri docti iusto pluris aestimando codd. integros erraverunt in verbis § 144: nescio cur non docendo etiam aliquid aliquando possis meliores facere,

cur nolis? Quae verba, nisi quod *dicendo* est in L[1] A E (Gud. corr.) et *si possis* in E, recte a mutilis, perverse ab integris libris sunt tradita. Nam hi omnes exhibent *posses melius*, in Eins. etiam *nescio* repetitur ante *cur nolis*, in Vit. denique *nescio cur cum* legitur, quae lectio speciosa mira quadam voluptate a viris doctis arrepta est. Sed coniunct. *cum* inculcata cum series gerundiorum *monendo*, *cohortando* etc. male interrumpatur, sententia plane perturbatur. Nam neque coniunctionis *si* loco *cum* potest poni neque verbis *docendo etiam al. al.* causa eis quae antecedunt supponi. Quod vero Madvigius, vir summi ingenii, in libri, qui adversaria critica inscribitur, p. 190 dicit docendi communem notionem perverse hoc loco interponi, ubi enumerentur formae docendi a ludi similitudine alienae, rem non perspexisse videtur; nam vis sententiae posita est in verbis *meliores facere*, quod ipsum Cic. a rhetoribus (in ludo) fieri negat, virorum litteris eruditorum consuetudine monentium, cohortant., perc., comm., una legent., audient., haud dubie (= nescio cur non) docentium etiam perfici contendit. Pideritius, vir de scriptis Tullianis rhetoricis optime meritus, cum vera suspicatus sit, mirum est quod non ea, quae sunt in omnibus l. mutilis servata, sibi vindicavit. Itemque § 146 corrector exemplum suum secutus una cum ceteris integris paene veram et nostri et ceterorum codd. mutilorum lectionem commutavit. In codice archetypo enim quin fuerit: *me didicisse quod probarem*, quis dubitaverit? Nam unde lectiones Laur. [1] *me dicis. Sed quod*, Gud. *me dicis sed quid*, Abr. *medicis sed quid*, Erl. *me didicisse sed qui* (olent quasi verba manum correctoris!) ortae sint, quis est quem fugiat? Librorum integr. lectionibus viri docti cum tenerentur constricti, aut explicanda esse putabant ea quae illi exhibent quamvis perversa: *me didicisse? Quid erat cur probarem*, ut Meyerus, Orellius (in edit. Tur. a. 1830), Kayserus (cf. annalium nov. Lips. vol. 79 p. 854), aut in Jahnii tam falsum quam speciosum incurrerunt inventum: *me did.? Quid erat cur improbarem*, ut Pideritius. Neque autem possum facere, quin ab eo qui haec legit, ut initium huius sententiae inspiciat, petam. Nam etsi et Kayserus Mommsenii

ac Teuffelii inventa (cf. et libellorum Monac. vol. 33 p. 416, 439 et annall. nov. Lips. l. l.) quam perversa essent demonstravit, et Stegmannius (l. l. p. 20) satis recte de illo loco iudicavit, tamen cum neuter eorum quid esset in codd. perspexisset, non prorsus sanasse videntur locum. Voc. *domo* enim non deest nisi in Eins. et Vit. (nam Mon. in nullo numero est), sed part. *et* in l. mutilis non invenitur; qua particula addita cum sententia — nam quae sequuntur verba: *et horum* etc. amplificandi causa adiecta esse apparet — perturbetur, quam praebent lectionem Gud. et Erl.: *cum abfuissem domo* (*affuissem* tradit Laur., *adfuissem* Abr., qua de re saepe a librariis errari docet Neuius, Formenl. d. lat. Spr. II., p. 742), ea quin vera sit non dubito. Deinde § 148 Laur. cum ceteris mut. consentiens tradit verba: profecto *maximis* rebus forensibus nostris *et externis inclusae et* domesticae litterae resp., quam lectionem, etsi plane respuitur ab Orellio, tamen praeponendam arbitror ei, quam exhibent integri: forensibus nostris rebus etiam dom. litt. resp. Nam neque codd. mutili, quamvis pleni errorum sint a librariorum vel neglegentia vel imprudentia profectorum, tamen praeter Erl. (et Vet. St.) pluribus quam integri additamentis sunt corrupti, neque part. *etiam*, cuius loco in eddit. antiquissimis *et* legitur, cum nec addatur quicquam nec augeatur, ullo pacto potest tolerari. Quanta autem verborum magnificentia usus Cicero et res gestas et scripta sua commemorare soleat, in permagno locorum numero apparet (cf. or. 140 et de vocab. *inclusae* or. in Pisonem § 21). Denique § 235 voc. *reformidavisse*, quod est in codd. mutilis (et in Gu. 1. 2.), magis respondere sequenti vocab. *refugisse* quam quod exhibent Eins., Vit., Dr. voc. *formidavisse*, nemo est quin intellegat; quam eandem fecit emendationem Naugerius Philipp. XIV, 9: refugit animus, p. c., eaque dicere *re*formidat.

Neque desunt loci, quibus locis utrius codd. generis lectiones, mutilorum an integr., sint praeferendae, diiudicari non potest, cuius generis manifestum est exemplum § 149, ubi in l. mutilis legitur: *ut fiat* quasi structura quaedam nec tamen *fiat* non minus recte quam quod est in integris: *Est enim* q. str.

q. nec *id* tamen *fiet*. Deinde intellegi non potest, cur non Cicero § 162, quamvis dici potuerit: quibus probari *volebamus*, quod est in integris, scribere maluerit: voluntas (sic scribendum esse recte indicat Bakius) eorum, q. pr. *uidebamur*, quod et exhibent L[1] E et A exh. videtur (G. uidebamus), neque est, quod § 150 eam respuamus lectionem, quae est in mutilis: *incondite positis*; nam cum aliis locis adverb. *inc.* legitur tum in Cic. de orat. l. III. § 175 scriptum est: quod ille rudis *incondite* fundit. Eiusdem par. initio si non rectius, id quod credere malím, at non minus recte *(hanc?) formulam*, quod voc. est in omnibus mutilis, legi quam *hanc viam* Stegm. vidit potuitque or. § 36 et 75; de opt. g. or. § 15 et 20 conferendas esse adnotare. Stanglius (ut absolvam hunc locum) quamquam recte in ea quam s. dixi commentatione (p. 17 seq.) voc. *facile* nullo pacto mutandum esse ostendit, tamen in eundem quem Bakius ac Mommsenius incidit errorem, cum vocab. *viam* (vel potius *formulam*) loco posuerit *vim*. Mirum est, quod in altera seq. enuntiati parte ab huius codicis partim antiq. manu partim recent. lectio ut nusquam reperta, ita non minus vera quam ceterorum codd. praebetur: *nec . . . efficiet* (Erl. *ut nec . . . efficiat*, ed. Ven. 2. *nec . . . efficiat*, ed. Med. *ne . . . efficiet*). In eodem, ni fallor, numero est ille locus § 146, de quo supra disputavi. In archetypo enim integrorum non fuisse videtur: *didicisse? Quid erat cur pr.*, sed: *didicisse quod erat cur pr.*, quam lectionem non minus veram esse apparet quam mutilorum: *didicisse quod pr.* Neque autem est, cur voc. *impensius* § 172 a mutilis praebitum prorsus respuatur. Nam eadem quae hic desideratur sententia usurpatum invenitur voc. cum aliis locis tum apud Livium I, 40, 2; IV, 46, 2. § 189 et *quod vehementer est vitiosum* (codd. int.) et *est id vehementer vitiosum* (codd. mut.) a Cicerone scriptum esse posse patet in promptu que est, neque quemquam fugiet § 234 non minus recte a mutilis exhiberi: si *quem . . . sequatur* quam ab integris: si *quos . . . sequantur*.

His locis non pauci possunt addi et eiusdem generis et similis, in quo numero sunt ei, ubi mutil. pars cum integr. parte consentit, ut et § 116 utrum *involuta* (mut. Eins. Vit. [2])

an *involutae* (L[2] Dr. Gu. 1. 2.) Cic. scripserit incertum est, et § 126 utra lectio praeferenda sit, *sunt appellati quod*, quae et in L [2] est et (om. voc. sunt) in Eins. Vit. Dr., an *sunt appellati eo quod*, quam L [1] E et Gu. 1. 2. (app. sunt) et G (om. voc. sunt) exhibent, nemo opinor poterit scire. Neque secus res se habet § 128, quo loco est in L[1] G E Eins.: Du*ae res* sunt *enim*, q. b. tratat*ae*, in V D G 1. 2.: Duo sunt, q. b. tractata, in L[2]: Duo sunt *enim* etc., aut § 174, ubi L[1] A E G 1. et haec et *alia*, Eins. V D G 2. e. h. e. *illa* tradunt etc.

Sed ne expositis rebus, quae, etiamsi attingant huius codicis naturam, tamen eius non sint propriae, a suscepto munere videar aberrare, brevi ea quae de illis rebus sentio complectar. Eam enim codicis partem, quae a manu antiquiore exarata est, maiore illam quidem ipso Erlangensi mendorum numero vitiatam, sed illo minus interpolationibus et additamentis corruptam librarius nescio quis saec. XV. ut innumerabilibus liberavit corrigendo mendis, ita vel locos nonnullos mendose ab antiquiore manu praebitos neglexit vel mutando nova adiecit menda. Is librarius quod, utram praeponeret lectionem, nonnunquam haesitavit, haud scio an eo factum sit, quod duo aut plura Oratoris exempla ad imitandum ei erant proposita. Quae exempla virtute inferiora non fuisse apparet ceteris codd. integris: Eins., Vit., Dresd., duobus Guelf.; qui libri ex Laudensi transcripti et inter se paulum differunt neque digni sunt, qui eo modo, quo fieri assolet, anteferantur codd. mutilis. Utriusque autem generis libris perquisitis et inter se comparatis duo Oratoris exemplaria, non ita paucis locis inter se discrepantia, vel antiquissimo exstitisse tempore ut statuerem adductus sum; e quorum uno fluxisse archetypum libr. mutilorum, eorumque alterum fontem factum esse atque caput l. integrorum. Qui archetypi ut mendis nequaquam vacabant, ita virtute alter alteri paulo cedebant. Atque cum sit integrorum archetypus et Eins., Vit., Dresd., Guelferb. satis recte et, ut infra demonstrabo, Laurentiano [3] multo rectius imitando expressus, tum, quid in altero illo fuerit archetypo, ex Abrincensi omnium maxime non minus elucet. Quae cum ita se habeant, iis locis, ubi differentes inter se

mut. et integr. lectiones movent dubitationem, ita diiudicandum nobis esse contendo, ut neutri codd. generi addicti omnia et in sermonis continuatione et in Ciceroniana rhetoricorum maxime librorum dicendi consuetudine posita esse arbitremur.

Neque tamen prius missam hanc codicis partem faciam, quam nonnullas a m. recent. transcripti libri particulas cum eisdem codicum Eins. et Vit. et Dresd. particulis comparavero, quibus codd. comparatis haec quoque apparebunt, neque a Dresdensi codice solere ceteris deteriora exhiberi, neque esse, quare Einsiedlensis tanto praeferatur ceteris codd , quanto Orellio (cf. l. l. p. CXIII.) praeferendus esse videatur.

§ 116 L[2] nisi enim	E nisi enim V nisi (om. *enim*) D nisi enim
L[2] disceptent (disceptant recte pr. codd. mut.)	E *discrepant* V disceptent D disceptent
L[2] involute	E involuta V involu*ntate* [1] involuta [2] D involut*ae*
L[2] in eas (om. *ut*)	E in eas (om. *ut*) V ut in eas D ut in eas
§ 117 L[2] ut definire	E ut def. V ut def. D def. (om. *ut*)
L[2] popularemque	E popularemque V popularem (om. *que*) D popularemque
L[2] neque praetermittatur	E praeterm. (om. *neque*) V neque praet. D it.
L[2] autem aut	E aut (om. *autem*) V autem aut D it.
L[2] facias	E facias V it. D faciat
§ 141 L[2] quae ad	E *quo se* ad V, quae ad D it.
L[2] tandem *is*	E tandem id V tandem (om. *id*) D t. id
L[2] reprehend*eret*	E reprehend*eret* V reprehendet D it.
L[2] eloquentia	E eloquentia V eloquenti*ae partes* D eloquentia
L[2] plurimum esset	E plurimum (om. *esset*) V plur. esset D it.

L^2 *persecu*tionum	E *persecu*tionem V prescriptionum D *persecu*tionum
L^2 que quidem	E quae quidem V it. D que *quid*
L^2 *rationes* (v. l. pro: regiones)	E regiones V it. D it.
§ 142 L^2 sin ea	E sin ea V *si* ea D sin ea
L^2 cur*a* *ut*	E cur aut V it. D it.
L^2 gloriosum est	E gloriosum (om. *est*) V it. D glor. est
§ 233 L^2 paul*o* comm. in quadr*iam*	E paullum c. in quadr*am* V paulum c. in quadr*am* D paulum c. in quadrum
L^2 aptum illud	E aptum (om. *illud*) V a. illud D it.
L^2 sum*m*e de gra*c*hi	E sume de Gracchi V it. D it.
§ 234 L^2 noluit	E *v*oluit V noluit D it.
L^2 nemoque	E *neque* V nemoque D it.
L^2 cl*u*peum (m^1 clipeum cf. Charis. Keilii v. I, p. 77 seq.)	E cl*u*p*em* (in marg. cl*y*peum) V cl*y*peum D it.

Jam posteriore codicis parte animo perlustrata, prior pars, qua quidquid in illa deest ab initio usque ad § 100 voc. *tanta eloquen* (tia) continetur, quali sit et habitu et indole, perspiciamus. Ac primum quidem admonitum velim hanc partem et forma litterarum et versuum intervallis non paulum abhorrere ab illa. Nam librarius non solum multo rarioribus, id quod p. 8 commemoravi, intervallis usus est, sed etiam litteras minusculas confecit et insigni forma et rotundatas. Qui cum quantum folii CIII. superesset sibi ex consuetudine scribenti non suppetere vidisset, alterius extremi folii paginae versus ita auxit, ut non solum eos densaret, sed etiam et de inferioris marginis spatio aliquantum detraheret et ad extremum a consuetudine paginas bipartito distribuendi discederet.

Deinde haec sunt de scribendi proprietatibus commemoranda. Solet scribere librarius: adolescens, concio, intelligere, negligere, paulo, poëta, quotidie, simulachrum. Praeterea haec inveniuntur: author, expectanda, extaret, exstitit (extit § 23), exultavit, increbuit, literis, et pulcrum et pulchrius, retorum,

suppellex, obiicit et subiicitur etc., seleget, et tralata et traslatum (trasferendis) et translatio (transferas); caeteris, faecundum, maestior (maereret), scaenae, subobscaeno, caepisset, caepit (pro *coe*pisset, *coe*pit), polite (pro polit*ae*) etc., prelia; nunquam, quanquam, tanquam, quicunque, plerunque, utranque, iandudum; omnis, partis, insanabilis (pro omn*es* etc.). Praep. *ad* assimilatione cum verbo coniungere solet: afferens, allata, assumat (astrictior). Pro *ei* vel hi vel ii legitur; neque solum libr. scribere solet: quod si, et si, etiam si, si quidem, sed inveniuntur etiam voc. male disiuncta: per pauci, id que, ut cunque, contra duo voc. in unum coniuncta: idest, plusquam, quammollissimis. Pro litt. *y* vocab. graecorum plerumque l. *i* ursupata est: panegiricum, gimnasii, Bizantium, et nomina propria non raro sunt male scripta: Clithomachum, Chalcas etc. Voc. graeca, quorum pars latinis, pars graecis litteris scripta est, ab eademne manu confecta an ab altera inserta sint, pro certo dici non potest: paulo acutiore utique stilo ea scripta esse adnotavit Vitellius. Ceterum haec codicis pars tam accurate exarata est, ut perpauci reperiantur calami lapsus: nom et mentiantur (i. e. non et met. § 23), accomodarit, imutat, casis (causis § 51), sit et sucati (fit et fucati § 78 seq.), officiciisque, terriiisque (tertiisque § 4), conterita (contenta § 56), cui mendorum generi nescio an voc. *toto se* (totos se § 24) et *quid* (quidem § 30) adnumeranda sint; nam vendicat (§ 61) etiam in Eins. et Vit. est. Interpunctio rarissime omittitur (ut § 31 legitur: omnibus fateor), signa parenthesis saepius desunt. Neque vocabula aut singula aut coniuncta librarius oculorum errore ductus nisi quinque locis omisit, quibus locis omissa margini adscripta sunt.

Haec fere sunt, quae de huius libri specie atque habitu commemorentur: transeamus ad ea, quae de eius natura atque indole disserenda sunt. Ac mendorum quidem paene nullum non invenitur in ceteris codd., e quo numero ea quae notabiliora mihi videntur proferam.

§ 4 in omnibus l. est *an* pro *nam*, quae lectio primum (si Meyerus vera tradit; nam de Gu. 1. 2. errat) in Junt. alt.

invenitur, deinde apud Lambinum, qui idem et § 5 ad voc. se artibus in margine (ed. Paris. a. 1573, quae una in manu mea est) adnotat: se *ab* artibus et § 7 an *n*unquam quam an unquam mavult legi. *Praesentibus* § 6 quam l. omnes cdd. (Eins. pñtibus, de Gu. 2. Peterus errare videtur) praebent, primus Aldus mutavit in *praestantibus*. § 16 in omnibus codd. est *orationis . . . . posse? ad*, nisi quod Sauppio (cf. ind. lectt. Gotting. a. 1867 p. 11) in Eins. *oratori* scriptum esse videtur. Locus male traditus ad hoc tempus emendatus non esse videtur. Mirum in modum § 20 et *Alii* (post *conclusa*) et *Et* (post terminata) scr. inveniuntur; nam *instructa* in omnibus codd. est. Deinde § 21 *inter hos medius*, quam l. Nonius recte tradit pro *intermedius*, in Ven. alt. primum legitur; quod paulo inferius in edd. est voc. *flumine*, ex eodem Nonii loco (p. 59 extr.) pro *fulmine* ab Orellio et seqq. edd. receptum est. Corruptum illum locum § 27 *in hoc in eum huc an* (vel eadem vel similia tradunt cett.) Sauppius in ind. lectt. Gotting. a. 1857 p. 4 ex duobus locis (et Ambrosiano et Augustiniano) emendavit itemque praeclare § 74 voc. *maestior* in *tristior* mutavit ex loco Quintil. (cf. l. l. p. 11). Voc. omnibus terris § 34 praepos. *ex* Lambinus primus (ed. a. 1573 p. 592) adiunxisse videtur. § 49 Mommsenius coniunct. *nisi* recte inseruit enuntiato relat., e quo voc. *magnus*, id quod Pideritius affirmat, eximendum esse nego (cf. Stanglii l. l. p. 14). Quae codd. omnes tradunt § 57: *dicit plura . . . . fuisse*, ea perverse inculcata esse Meyerus suo iure contendit, neque minus recte Lambinus verba *dicimus illud non decere et id* § 73 (ex quorum codd. auctoritate?) e sententia exemit. Voc. *qui* § 61 a Madvigio iure ante *haec* insertum quamquam in hoc quoque libro deest, tamen v. *actor* et *haec* virgula interpuncta sunt. Voc. *et suavitate*, quae post voc. et gravitate § 62 desunt in nostris codd., et Lambinus, qui ipse *et ubertate et gravitate* legi maluit, in suis mss. ait invenisse et Gruterus ex Palat. 5 excerpsit. § 80 probat Kayserus (lib. Monac. vol. 33 p. 405) quae exhibent libri: »translatum aut factum . . . . aut novum«, nisi quod voc. *aut* et post *translatum* et post *ipso* scriptum in *et* mutandum esse affirmat, Jahnius

voc. *aliunde ut mutuo* et *aut novum* delenda esse ait. Sed neque, ut illa voc. deleantur, propter orationis aequabilitatem fieri potest et omnibus locis, quibus de hac re agitur (cf. de or. III § 167, 170, 201), voc. *factum* Cic. non adiunxit, sed opposuit voc. *translatum.* Quae Madvigius cum perspexisset, verba *aut factum*, quae priore loco errore praecepta librarius expungere omisisset, rectissime delenda esse iudicavit (advers. crit. II, p. 190). Mira quadam perturbatione Laur. (pl. 50 cod.) 18 tradit: aut tralatum aut factum aliunde ut mutuo aut factum ut (l. *a* lineola a m. priore transfixa est) ab ipso aut priscum. § 81 *et* post voc. *parcus*, quam l. exhibent nostri codd. omnes, recte in Memmiano Gruteri deest, et *si ut* § 83 a Man. primo in *sicut* mut. est. *Assumat* autem et *accedit* § 85 seq. Lambinus emendavit, neque tamen est, cur § 89 *vel* maxime, quod in omnibus, ni fallor, codd. est, in *quam* m. mutetur (cf. § 174 *vel* maxime velle). § 93 verba *si pro patria arcem dixisset* itemque *pro Afris immutat Africam* pro additamentis grammatici hominis habenda esse suo iure iudicat Sauppius l. l. p. 6 (cf. Pideritii ed. II. p. 203). Alia menda codd. mutilorum lectionibus corriguntur: § 94 *et haec* est in Abr. et Gud. (int. omnes *haec*) et *decet* (int. licet) in Gud.; verba *explicabuntur — dicentur* § 95 (int. explicantur — dicuntur) leguntur in Abr., Gud., Laur. 33; *extimescet* § 98 (int. extimescit) est in Gud. et quem modo dixi cod. Laur. § 100 denique nescio an Gud. veram exhibeat lectionem: *animo. Nam manu* (Laur. 33 om. *nam*).

Neque autem menda inveni huius libri propria nisi duo, levia sane et, quod mirum est, in ed. Victorii, alterum in Aldinis quoque aliisque, repetita: § 72 *Et sine* (pro et*si* sine) et § 85 *continuatione* (pro continuatione*m*). Nam quod in hoc uno l. § 79 editionibus vulgata lectio est *aderit*, veri vestigium mihi inesse videtur; neque enim illud quod Theophrastus in orationis laudibus numerat, i. e. genus ornate dicendi (de qua re cf. de or. III, 91), abesse Cic. affirmare potest neque, etsi legitur in Cat. m. 72: illud breve vitae reliquum, Ciceroniani sermonis mihi esse videtur *ornatum* substant. loco positum cum pron. *illud* et adiect. *suave* et *affluens* coniungere: immo ita non

coniungenda illa sunt, ut Ciceronem scripsisse coniciam: »unum aderit, quod ... ornatum, aberit illud suave et affluens«; nam sic bene hoc enuntiatum cum eis, quae sequuntur, conectitur.

Ac menda quaedam huic cod. sunt vel cum uno aliquo vel cum parte codd. communia, ut est in Mon. m [1] et apud Nonium § 21 *ut cinnus*, § 38 demensa (sic est in codd. praeter Vit.), § 63 *sic* de — *loquuntur* (om. Gu. 1, cett. vel sic de vel fide — loquuntur), § 64 *mira*bile (sic codd., sed in Eins. *misera*bile legendum esse nota significatur), § 77 orator*i* (oratorii praebent Dr. Gu. 1. 2) etc.

Praetermittendos esse putavi eos cod. locos, qui aut, etsi molesti aliquid in se habent, tamen possunt tolerari aut non satis certi videntur, e quo numero is locus § 16 est, cuius supra feci mentionem: Quid dicam ... intellegi posse? ad. Neque magis mihi a Sauppio (l. l. p 10) aut ab ed. Ven. priore persuadetur de loco § 33: *admirabili* fama virt. *incredibilium*, e quibus ille voc. *incredib.* explicandi causa ab homine grammat. adiectum voc. *admirabili* delendum, haec transponenda esse adiectiva statuit. Quae autem sunt in hoc codice § 47: *Facile* ... percurr*e*t etc., ea nescio an, nisi quod (generatim), *discet* vulgari errore scriptum est, vera sint existimanda: quae quidem lectio, ex antiquis edd. (Cratandri, Victorii, Manutii) emendatione confecta a Lipsio (Var. lectt. II, 7), probatur Lambino (cf. ed. a. 1573 p. 828).

Neque tamen meum esse videtur, de omnibus locis in quibus quicquam est dubii, disputare; quamobrem tempus est eas afferendi lectiones veras, quae huius sunt codicis Laudensis exempli propriae.

§ 15 unus veram verbi formam tradit: dic*it*. Quae autem leguntur § 23: *qui vim accommodarit*, ea sunt et in Lambini libro (ed. a. 1573 p. 589) et a Meyero Orellioque ex coniectura, nisi animus me fallit, recepta: quae verba ut ei, qui a Nonio p. 244 allatos perspexerit locos, nihil afferent admirationis, ita Pideritium mirum quantum a vero avocaverunt; nam quomodo quis in verbo accommodandi inesse »dem Idealbild entsprechend finden« ex libri II. de or. § 230 coniectura consequatur, ego

quidem nullo pacto possum perscrutari. *Adipatae* deinde § 25 vocabulum, quod est in Nonii libro (p. 69), recte se habere demonstratur huius codicis lectione. Quae autem sunt in § 30 *et qui* et in § 47 *emanant* et in § 51 *Charmadam* (Vit. Carneadem, alia alii), ea recte ab hoc libro uno praeberi apparet. Quod § 68 Madvigius perspexit coniectura: nonnull*i* *e*orum volu*p*tati, Aldi (?) et Lambini (cf. ed. a. 1573 p. 601) secutus aliqua ex parte auctoritatem, de vocab. volu*p*tati verum esse hoc codice confirmatur; qua de re neque Sauppium (l. l. p. 11 seq.: nonnullorum volu*n*tat*e*, quam ipsam praebet l. Laur. 18) neque Stanglium (l. l. p. 20: nonnullorum volu*n*tat*es*) bene coniecisse perspicuum est. Forma verbi *habeat* eiusdem par., quae in Victorii quoque ed. invenitur, recte se habere videtur; haec enim inest in illis verbis sententia: »angenommen, es wäre noch etwas daran zu untersuchen«. Solus denique cod. exhibet vera § 80: et *in*usitatum, s. e. *in*usitata; ceteri codd. tradunt: usitatum, s. e. usitata.

Hae sunt, quas unus servavit codex lectiones veras; nonnullis locis non solus quidem, sed cum uno ex codd. tradit, quod verum est: § 20 *limati* cum Vit. (cett. limata), § 26 *incendens* cum Gu. 1. (Eins. intendens, cett. incedens), § 36 *alios* — *alios* cum Eins., qui idem unus veram v. formam tradit: delecta*nt* (cett. alius — alius), § 69 off. *oratoris* cum Dr. (cett. orationis), § 70 *et* in poemat*is* (cf. Charis. p. 141 ed. Keilii) cum Dr. (ut videtur, Gu. 1. in poematis, Eins. Vit. in poematibus, Gu. 2. om.), § 89 *ex* tempore cum Eins. (e temp. Mon., cett. tempore). Admonendum est, quam § 51 praebent lectionem Eins. Dr. Gu. 1. 2.: *et* quid, eam veram esse hoc confirmari codice. Itemque haud raro codicem cum parte codd. seu duobus seu pluribus consentientem vera tradere, ut § 11 *cum* (antiquam) exhibet cum Eins. et Gu. 1. (cett. tum), § 20 *levi* cum Eins. Gu. 1. 2. (cett. leni), § 83 *ceteroquin* cum Eins. et Dr. (cett. seu cetera seu certoque), non est cur pluribus ostendam verbis.

Ex eis, quae supra exposui, non vulgaris notae hunc librum esse facile apparebit: quae res ut lectorum non cogitationi solum, sed oculis etiam subiciatur, lectiones eius paragraphorum

65—70 memorabiles cum eisdem ceterorum codd. adhuc collatorum paragr. componam.

§ 65 L^3 distinguenda similitudo	E distinguenda similitudo V D G 2 it. G 1 *dis*similitudo
L^3 concinnas	E concinnas V concinna*n*s D G 1. 2 concinnas
L^3 quam	E quam V D G 2 it. G 1 *quomodo*
L^3 saepe	E saepe V D G 1 it. G 2 *se*
L^3 transferunt	E transferunt V D G 1 it. G 2 transferunt*ur*
L^3 varietatem colorum	E varietat*es* color*es* V D G 1. 2 varietatem colorum
L^3 saepissimeque	E saepissimeque V saepissime (om. *que*) D G 1. 2 saepissimeque
§ 66 L^3 conciones	E conciones V con*ten*tiones D G 1. 2 conciones
L^3 tracta	E tracta V D G 2 it. G 1 tract*ata*
L^3 etiam	E etiam V *et* D G 1. 2 etiam
L^3 quo	E quo V it. D G 1. 2 *quod*
L^3 differrent	E differrent V D G 1 it. G 2 di*ssere*rent
§ 67 L^3 dicitur	E dicitur V D G 2 it. G 1 *vocatur*
L^3 quod incitatius	E quod incitatius V it. D G 1 quod incitat*us* G 2 qu*i*d incitat*is*
L^3 poema	E poema V G 1 it. D G 2 pe*n*a
L^3 quod	E quod V qu*idem* D G 1. 2 quod
L^3 quod (virtutes)	E *quo* V D G 1. 2 quod
§ 68 L^3 ornata	E ornata V D G 1 it. G 2 (om. *ornata*)
L^3 nonnull*orum* voluptati	E nonnull*orum* volu*n*tati V D G 1. 2 it.
L^3 inserviunt	E inserviunt V D it. G 1. 2 inservi*a*nt

L^3 habeat (cf. p. 33)	E hab*e*t V D G 1. 2 it.
L^3 (ad) id	E *hoc* V D G 1. 2 id
L^3 historicorum a	E historicorum *ac* V D G 1 historicorum a G 2 histori*arum* a
L^3 explicandus est	E expl. est V G 1 it. D G 2 expl. (om. *est*)
§ 69 L^3 dicet	E dic*i*t V D G 1 dicet G 2 *decet*
L^3 oratoris	E orat*ion*is V G 1. 2 it. D oratoris
L^3 vehemens	E vehemens V D G 1 it. G 2 *uberius*
L^3 uno vis	E vis (om. *uno*) V D G 1 uno vis G 2 *vix uno*
§ 70 L^3 est eloquentiae	E *etiam* eloquentiae V G 1 est eloq. D G 2 eloq. (om. *est*)
L^3 reliquarum	E *ali*arum V D G 1. 2 reliquarum
L^3 cognitione	E cognitione V G 1. 2 it. D *et* cognitione
L^3 ignoratione ... et in poematis	E ignora*ntia* ... in poemat*ibus* (om. *et*) V ignoratione . . . in poemat*ibus* D ignoratione . . . et in poematis (?). G 1 ignora*ntie* . . . in poematis G 2 (om. *ignoratione* . . . *et in poematis et*).

Quas supra exempla afferendi causa contuli cum ceteris lectiones, eas si quis oculis percurrerit, huic codicis parti omnes codices, qui quidem noti et collati sunt, tanto cedere intelleget, quanto ne unus quidem ex libris seu ceteris ante collatis seu cuivis illorum est postponendus; nam ceteros, etsi non plane alter alterius auctoritatem assequuntur atque exaequant, tamen permulto minus inter se discrepare nemo poterit, seu illis quae supra composui seu reliqua lectionum parte perquisitis, non contendere atque affirmare. Quod cum ita se habeat, hanc codicis partem ad similitudinem Laudensis archetypi ceteris usque ad hoc tempus collatis multo propius accedere constat.

Atqui eum librum, quem secutus librarius quidam antiquiorem codicis partem correxit, ceteris auctoritate non praestare supra demonstravi. Ergo neque ex eodem exemplari illam atque hanc codicis partem transcriptam esse apparet, neque ab eodem librario utramque partem exaratam esse arbitrandum est. Ab eo autem, qui hac priore transcripta parte codicem supplevit, posteriorem partem esse correctione facta repertam quamquam verisimile est, tamen pro certo non affirmaverim. Qui quare mutilatum librum priorem transcribendo praestantissimi Laudensis exempli partem maluerit supplere quam integrum illud transcribere exemplar, quis est qui inquirendo reperiat? Qui codex archetypi simillimus cum fieri possit ut in bibliotheca aliqua lateat abditus, codices Oratoris, quos praeter notos non in Laurentiana solum, id quod p. 4 docui, sed in aliis quoque Italicis inprimis bibliothecis multos exstare statuendum est, ei, quibus id facere par est, si scrutabuntur atque excutient, operae facient pretium. Sed cum etsi non ipsum Laudensem, tamen sive integrum illud cuius pars exstat exemplum sive aliud quoddam non minus egregium reperiri cupiam, tum nunc quidem et integram Oratoris codicis Laurentiani collationem, quae Vitellii beneficio in manus meas venit, et eas lectiones quamvis paucas, quas ex eiusdem plutei codd. numeris 33 et 18 designatis Maassius excerpsit, utendas, si placet, viris doctis tradam.

[fol. 93 v]

M. T. Ciceronis ad M. Brutum Orator.*)

§ 1 unice] unice // (litt. nescio qua erasa est) — praesertim . . . praeclara] presertim . . . preclara.

§ 2 quam] quàm (sic nonnunquam, item *à*, *è*, *ferè*, *porrò*, *néue*, et *eáque* et *eàque*, alia).

§ 3 et perfectiss.] perfect. (marg. ab eadem m. *et* adscriptum est).

§ 4 omnes] omnis — expet.] expe*ten*das**) poterit. Prima] poterit prima — tertiisque] terriiisque — Nam] An — est — ut de Gr. l. — aut] est (ut de Gr. loquar) aut (sic parenthesis, quae tamen saepe neglegitur, semper significatur) — Archilocho] Archiloco — secundos. Nec] secundos? nec.

§ 5 Doryph.] doryphori (litt. *y* ex *i* emendata est.)

[fol. 94r *aut quo progr.* cet.]

§ 6 excellat. Ac t.] excellat Attamen — praestantibus] praesentibus.

§ 7 an nunq.] an unquam.

§ 8 pulchrum] pulcrum — simulacris] simulachris — iis pict.] his pict.

§ 10 ἰδέας] ideas — auctor] author.

§ 11 oratoriis] oratoris — subobsc.] sub oscuram —

[fol. 94v *quae quaerimus* cet.]

§ 12 inaudita] in audita — est et adiutus . . . . est nec satis] est nec satis (sed voc. *et adiutus . . . . est* in marg. ab eadem m. addita sunt).

§ 14 imprimis] in primis — copios.] copiosus (ab eodem librario in *copiosius* correctum voc. est).

---

*) Exemplari, ad quod hanc totam collationem accommodabam, Ciceronis operum ed. Turicensi altera usus sum.

**) Litterae in erasarum loco positae prono typorum genere notantur.

§ 15 siquidem] si quidem (sic librar. solet scribere) — ceteris] caeteris — fecundum] faecundum.

§ 16 rerum, cuius] rerum? cuius.

[fol. 95r *eloquentiae patrum* cet.]

§ 18 reapse] re ipsa.

§ 19 Quodsi] Quod si (ut scribere solet libr.)

§ 20 perpauci] per pauci — conclusa, alii cet.] conclusa, Alii leui et instructa et terminata, Et contra cet.

§ 21 inter hos, medius] intermedius — flumine] fulmine — vicinus] ut cinnus — facil. et aequabil.] facultatem et aequalitatem.

§ 22 vim in sing.] uim sing. — satisne] satis ne — simul.] simulachrum — possemus! Ess.] possemus. esset.

[fol. 95v *longe omnibus* cet.]

§ 23 accomm.] accomodarit — exstitit] extit — quo ne Ath.] quo Athenas (*quo* scr. est extrema linea, sed spatio non relicto) — non imb. s. met.] nonı (sic) imb. s. mentiantur.

§ 24 totos] toto — accomm.] accomodant.

§ 25 politae] polite (ut infra *adipate* et sic saepius) — minim.] minemeque (sed ex litt. *e* emend. l. *i* facta est) — tamquam] tanquam (sic libr. scribere solet) — Graecia autem .... repud.] graeci autem .... repud. (haec verba in marg. ab eodem, ut vid., librario adscripta sunt).

§ 26 ceteris] caeteris — Ctesiph.] Cthesiphonte — summissius] summius (litt. *ssi* post *i* insertae ab eodem libr. an ab alio adiectae sint, parum liquet) — exsult.] exultauit — dira] dura.

§ 27 verbum] uerb*um* — Graeciae .... manum] Graeciae in hoc in eum huc, an, illuc manum — coepisset] caepisset.

§ 28 [fol. 96r *eum solum* cet.]

§ 29 poëta] poēta (sic saepe voc. scriptum inven.)

§ 30 quidem] quid — proelia] prelia — contiones] conciones.

§ 31 potuit, or. n. p.? Quis] potuit? Quis (verba *oratio non*

potuit in marg. addita ab eodem libr. an ab alio scripta sint, parum liquet) — omnibus". Fateor] omnibus fateor·
§ 32 exstaret] extaret.

§ 33 [fol. 96ᵛ *quotidie magis* cet.]

incredib.] admirabili — admirab.] incredibilium.
§ 34 scrib.! It.] scribendum Itaque.
§ 36 formam — qui] formam, quod — delectant] delectat — etiamsi] etiam si (sic scrib. solet libr.) — idque] id que

§ 37 [fol 97ʳ *historiarum et* cet.]

Panegyr.] panegiricum – a for.] ab forensi.
§ 38 confer.] conferant – compar.] comparentque.
§ 39 Thrasymachum Calch.] Thrasimachum Chalcedonium — Byz.] Bizantium — afuerunt] abfuerunt — his . . . . hist.] his (ut ait Theophr.) hist.
§ 40 nonnunq.] nonnumquam — leniter] leuiter — cedes] credas — Thrasym.] Thrasimachus —

[fol. 97ᵛ *iunxisse* (sic) *Thucydides* cet.]

satis, ut i. d., rot.] satis (ut ita dicam) rot. [item infra § 41: (ut scis)] — in scrib.] inscribendo.
§ 41 etiamn.] etiam nunc — Quid t.? i. ille.] Quid tandem inquit ille?
§ 42 aequalis] aequales (sed syll. *es* in *is* corr. est) — rhet.] retorum — ἐπιδεικτ.] epidictico — gymn.] gimnasiis — eloq. ipsa] eloq. est ipsa — incun.] inc*u*nabulis.
§ 43 quo modo] quomodo — ponemus — n. e. id s. — sed] ponemus neque e. id s. sed.
§ 44 paene] penè (sic aliquotiens voc. scr. est) —

[fol. 98ʳ *et indicare quid* cet.]

locos] locus (sed in *locos* corr. voc. est).
§ 45 sitne aut] sit ne aut — sitne, signis] sitne? signis (item *quid sit*? et *quale sit*?).
§ 46 θέσις] thesis — utramque] utranque (item infra) — posset] possit — locos — sic e. a. — q.] locos sic e. a. quasi.

§ 47 aptis, gen. dicet] aptis generatim, discet — seliget] seleget.
§ 48 iis praes.] his praes. — fec.] faecundae.
§ 49 suis? Aut m. dura] suis? ut m. dura? — obstabit.] obstabit?

§ 50 [fol. 98v — *nerit qua dilig.* cet.]
etsi] et si (sic solet scr. libr.)
§ 51 Clitom.] Clithomachum — causis] casis.
§ 52 litt.] literis — sciscit.] scitari — hoc mihi] id mihi — Rem diff. . . . . difficillimam!] rem diff. (dii immortales) a. o. difficillimam. — atque ita] et ita.
§ 53 interp. interv.] interpuncta, interualla — in len.] lenitate — paullo] paulo (sic, ut vid., semper).
§ 54 coepi] caepi — est — tibi . . . . coll. —] est tibi cet. (sine signif. parenth.) —

[fol. 99r *artium. Quomodo* cet.]

§ 55 iamd.] iandudum — utc.] ut cunque — volet] uolat (uolet?)
§ 56 contenta] conterita.
§ 57 [dicit] pl.] Dicit plura.
§ 59 bonitas q.] quidem bon. — est; non e. e. i. nobis] est (non est e. i. nobis) — omnes] omnis — gr. idemque] gradus. Idemque —

[fol. 99v *et uirili lat.* cet.]

§ 60 plurim.] plurim*um* (litt. *um* in ras. quattuor litt. pos. sunt) — afferet] affert — venustatem!] uenustatem.
§ 61 actor haec] actor, haec — ῥήτωρ] rhetor — vind.] uendicat — id est] idest.
§ 62 sunt — siquidem] sunt si quidem (item infra *Plato tamen*) — or. neque] orationeque.
§ 64 et umbr.] et // (litt. nescio qua erasa e.) umbratilis — vincta] iuncta — miserab.] mirabile — dignata] signata.
§ 65 causis, pers.] causis persequi — iis prop.] his prop. —
[fol. 100r — *quirunt quam* cet.]
altius] apertius.
§ 66 contiones] conciones — versu: nunc] uersu nunc.

§ 67 max., etsi est eo] max. et si est, eo.
§ 68 voluntati] uoluptati — habet] habeat.

§ 69 [fol. 100^{v} *vehemens in* cet.]

§ 70 deceat] docet (libr. corrigendo fecit voc. ex *c//eceat*).
§ 72 officiis] officiciis — tr. — non .... unum est —, gramm.] tractare, non .... unum est, gramm. — communibus,] comm.? — subtiliter!] subt.? — toto, at] toto: ac — etsi sine] Et sine.
§ 73 Magnus est] M. esset — dicas; —] dicas (interp. om.) —

[fol. 101^{r} *quantum sit* cet.]

§ 74 dedecere; quod] ded., Quod — probi] probam — stultove] stultó ue — in immolanda] immol. — Calchas] Chalcas oratori] oratoris (sed litt. *s* erasa e.) — partes] partis.
§ 75 ut cuiusque] ut cui*us*que (ante voc. *ut* erasum aliquid vid.) — arduum, ut .... sed] arduum (ut s. i. d.) sed [item infra 77: (ut scis)].
§ 77 oratorii] oratori.

[fol. 101^{v} *ratione quadam* cet.]

et conc.] concursu.
§ 78 Fit] sit — venust.] ue*nustius*.
§ 79 Fuc.] sucati — Theophr.] Teophrastus — ad. — quod .... laud. — orn.] aderit, quod .... laudibus, orn. — supell. Sup.] suppellectilis. Suppellex.
§ 80 sonant] sonat — explanant] explanat — transl.] traslatum — aut f. ab i.] //// aut factum ab ipso /// (verba *aliunde aut mutuo aut factum* inter voc. *factum* et *ab* ponenda margini adscripta sunt, sed *aliunde* in ras. pos.).

§ 81 [fol. 102^{r} *sunt illa q.* cet.]

transfer.] trasferendis — parcus in] p. et in – tralatione] transl.
§ 82 indecorum — quod cet.] indecorum quod cet. (item infra: *appellant quod* cet. om. parenth. signo) — verb.] uerb*um* (litt. *um* in eras. trium quattuorve litter. loco sunt pos.).

§ 83 iis lum.] his lum. — verb. ab iis] uerb*um* ab his — sicut] si ut.

§ 84 pleraque apta] pleraeque aptae —

[fol. 102^{v} —*tione literae* cet.]

§ 85 continuationem] continuatione — tralat. quam moll.] translationibus quammoll. — exspect.] expectanda.

§ 86 quamquam] quanq. (sic saepius scripsit libr.) — Accedet] Accedit — scenae] scaenae.

§ 87 iac.] iacendo (sed litt. *i* libr. l. *c* superscripsit).

§ 88 subobsceno] subobscaeno —

[fol. 103^{r} *nec in fac.* cet.]

§ 89 plerumque] plerunque — insanabiles] insanabilis — omnes] omnis.

§ 90 facetus. Est] facetus Est (est?)

§ 93 [fol. 103^{v} *quanquam transferendo* cet.]

fit] sit — arce et u. o. s.] arcem et urbem orbas — imm.] imutat — ὑπαλλ.] hypallagen — μετωνυμίαν] metonomiam — nom.] nomine (sed l. *e* in *a* mutata est).

§ 94 tral. et] tralationi — prop.] pro pinquis — quod del.] quo (sed voc. in *quod* mut. est) del. — decet] licet.

§ 96 verb. omnes] uerború omnes — e soph.] soph. (sed litt. *e* superscripta est),

§ 98 minimeque] mineméque (sed libr. *ni* ex *ne* correxit) — extimescet anc.] extimescit ancipitis.

§ 99 coepit] caepit.

§ 100 animo. Nam manu si] animo, non manu si —

[fol. 104^{r} —*tia mihi persuas.* cet.]

ig. is?] igitur //// is[1]* igitur //// sed[2]* — Compl. . . . Is est] conplectar (seq. lacuna 18 fere litt.) breui //// disseram pluribus //// Is est — et humilia] et humili[1] et humilia[2] — magna] alta[1] magna[2].

§ 101 Ne fuerit] nedum tu fueris[1] ne fuerit[2] — quam etsi] quam si[1] quam et si[2] — quaero] quero (sic et *questio*

* Numero 1 manus antiquior, num. 2 m. recentior significatur.

et *pre* cet. — pro quaero et quaestio et prae cet. — saepissime ab antiquiore m. script. inven.) — quidquam] quicquam — cuius qui s. c., sit el.] cuique sit compositi eloquens[1] cuius qui sit compos sit eloquens[2] — el. — ut . . it. —, qui] el., ut . . it., qui (om., ut saepe, parenth. signo) — idem ill.] illud idem[1] idem illud[2].

§ 102 Caecina de verbis interd.] Cecina re uera[1] Cecina de uerbis interdictis[2] — retin.] retinende (*e* pro *ae* terminali plerumque m. ant. scripsit — contin.] continebitur[1] continebatur[2] — in omni genere amplif.] in eo genere mollificationis[1] in omni genere amplificationis[2].

§ 103 genus? quod in Aviti?] genus quod in habiti (item *Cornelii* sine s. interrogationis) — quae ex.] queque ex.[1] que (sic vel q̄ antiq. m. pro *quae* solet scribere) ex.[2] — nisi] ni[1] nisi[2] — arbitrarer vel p. el. qui quaer.] accusarentur uel opes possent legere quod quererent[1] arbitrarer uel posse eligere qui quererent[2] — ullo in g.] in illo genere[1] ullo in g.[2] — laus oratoris] eius laus[1] laus oratoris[2].

§ 104 quid dec.] quid. si qui deceat — videmus] uideamus[1] uidemus[2] — ut . . . . simus] et . . . . sumus[1] ut . . . . simus[2] — ipse Dem.] et ipse Dem.[1] ipse Dem.[2] — in omni genere] genere[1] in omni genere[2] — aures m.; ita] aures Ita[1] auris meas Ita[2] — et semper] etiam sepe (sic pro *saepe* plerumque scriptum est).

§ 105 tu orat. cum] tu cum[1] tu oratorem cum[2] — Pammene] pōmam[1] Pammene[2] — cum esses] cum esset — neque] nec[1] neque[2] — e man.] a manibus[1] e man.[2] — Sed] Nam[1] Sed[2] — ipse] ille[1] ipse[2] — Nos magnum] nos minus magnum[1] nos magnum[2] — si q.] siquidem — ut ait] ut[1] ut ait[2].

§ 106 Atqui] At qui — est aut sibi] est. tibi[1] est. sibi[2] (v. l.*) — ipse . . esset] ipse nunquam cotta uisus esset[1] aut sibi ipse nunquam uisus esset[2] (v. l., sed idem libr. expunxit

---

* Has litteras (= varia lectio) eis verbis addidi, quibus m. recentior signa voc. *vel* sive *alias* (aliter?) adscripsit.

verba cf. p. 18) — Sulpicius] Sulpitius — Nihil] nichil (ut saepissime) — Sulp., non] Sulpitius, nunquam hortensius non[1] Sulpitius non[2] — huius mult.] multiplicis huius[1] h. mult.[2] — aures] auiris[1] auris[2] — easque nos . . . . dicebamus] Itaque nostri quicumque orabamus et quantumcunque dicebamus[1] easque nos primi quicunque eramus et quantumlumcunque (linea supra litt. *u* alterius syll. ducta non expuncta est) dicebamus[2] — gen. dic. aud.] generis audiendi[1] gen. dicendi audiendi[2].

§ 107 clamoris] clamoris[1] clamoribus[2] — dix.! quae] diximus quae[1] dix. de supplicia parricidarum quae[2] — defervisse] deperiisse[1] deferuisse[2] — coepimus] cepimus — quam spiritus] sē (sic) spiritus[1] quam spir.[2] — vivis] ui*uis* — fluctuantibus] eluctantibus[1] fluctibus[2] — caelo non qu.] celo queant[1] celo non queant[2] — terra n. tangat] terram non tangant[1] terra non tangat[2] — alluantur] abluantur — eiic.] eiciuntur — laudati] laudata[1] laudati[2] — Ab hac . . . . generi] uxor generi[1] (om. *ab* — *matura*) Ab hac indole etiam illa matura uxor gener (v. l.)[2] — filii, filiae] filio. filia[1] filii. filie[2].

§ 108 hoc modo] huius modo[1] hoc modo[2] — enim illa pro R.] enim proroscio[1] enim illa pro roscio[2] — quaedam] quedam (ut saepe) — hil.] h*i*lariora — ut pro Avito] At pro habito — Graeco] Greco (ut saepe) — eaque hanc] eaque sunt hanc[1] ea (*eaque* v. l.) hanc[2].

§ 109 et maxime] et maxime[1] maximis[2] — discederem] discederem[1] descenderem[2] — Sed quid] Sed o quid[1] Sed quid[2] — profero?] profero (item *elaborem repudiabis obtinebis* om. sign. interrogat., quod haud raro in hac cod. parte factum est) — Histr.] Hystriones — vidimus] uidemus — pers. satis fac.] faciebant[1] personis satis faciebant[2] — in suis] suis[1] in suis[2] — comoedum] comedum (item *tragediis, tragedum, comediis*).

§ 110 omnes c. ages?] omnes c. agis?[1] omnis c. ages?[2] —

[fol. 104v *aliquod causarum* cet.]

repudiabis] repudiaris[1] repudiabis[2] — in eisdem] in

isdem — cuius] cui — imag.] ymagines[1] imag.[2] (item infra lin. sequenti) — ac tuorum] aut t.[1] ac t.[2] — amares] amaris[1] amares[2] — ex aere] e ere[1] ex ere[2]
Lys.] Lisiae — subtil.] subtilitati — argutiis] argutus[1] argutiis[2] — acumine] acumine[1] acumini[2] — Hyp.] Hyperidi[1] Hyperidis[2] — nihil] nil — Aesch.] eschini.

§ 111 Lept.] Leptitem[1] Leptinem[2] — Aesch.] eschinem — quoties] quotiens — et a grav.] et grau. — gravitatis] grauissimis[1] grauitatis[2].

§ 112 abeamus] abeas — iam ante] iam a.[1] tam a.[2] — nihil nos] nichil non[1] nichil nos[2] — existim.] existimatione[1] existimatores[2] — magistri] magisterio[1] magistri[2] — long. progr.] long. sepe progr. — videmus] uideamus[1] uidemus[2] — te haec] te hoc — quasi docere] ea docere[1] quasi ea d.[2] — tuo tamen] tuo tum.

§ 113 perfecte] persequi[1] perfecte[2] — eam s. fac. h.] eam tn (= tamen?) habere fac.[1] eam solum (v. l.) fac. h.[2] — sed etiam . . . . assumere] sed causam adsumere (assumere?)[1] sed etiam uicinam e. a. f. d. sc. adsumere[2] (in marg. scripta sunt verba *etiam . . . scientiam*) — attamen] at tamen — utr. in] utr. est in [1] utr. in [2] — et loquendi] et est loq.[1] et loq.[2] — oratorum autem] or. enim[1] or. autem[2] — artes] artes[1] artis[2] — eiusmodi] huiusmodi[1] eiusm.[2] — cum autem] cum enim[1] cum autem[2] — didux.] d'duxerat.

§ 114 rhetor.] rethoricae — dicendum] dicendi — possit]possint[1] posset[2] — habuit docendi] habet dicendi[1] habuit (v. l.) docendi[2].

§ 115 Ergo] Ego[1] ergo[2] (v. l., sed id. libr. expunxit voc. *ergo* marg. adscriptum) — sed vel] sed ne[1] sed vel[2] — Chrys.] Crisippi[1] Chrisippi[2] — institutum. Noverit] institutus nouerit[1] institutum (v. l., sed litt. *um* ab eod. libr. expunctae vid.) nouerit[2] — verum falsumne] falsumne[1] uerum falsumne[2] — e q.] e quoque[1] eo q.[2] — quid] quid[1] quod[2] — quidque] quid //// [1] qdque (quodque?)[2] — dicantur] dicantur[1] dicentur[2] — Haec] Hec

(sic haud raro scriptum est voc.) — tenenda] tacenda[1] tenenda[2] — occurr.] concurrunt — sed quod] sed quia[1] s. quo[2] — in iis] in his.

§ 116 sit — nisi . . . potest —: expl.] sit nisi . . . potest expl.[1] sit (nisi . . . potest) expl.[2] — disceptent] disceptant[1] disceptent[2] — illud de quo amb.] illud quod ambigitur[1] illud de quo amb.[2] — disseri nec unquam] disseres unquam nec[1] disseri nec unquam[2] — perv. potest] peruenire potes[1] perueniri potest[2] — est saepe v.] est v.[1] est saepe v.[2] — involutae] inuoluta[1] inuolute[2] — si quidem] sed q.[1] si q.[2] — formae] forma[1] forme[2] — ut in] ut in[1] in[2] (*ut* expunctum a m. alt.?*).

§ 117 neque] nec[1] neque[2] — accommod.] accomodatius — etiam] est[1] etiam[2] — postulabit] postulabat[1] postulabit[2] — in species] in species[1] species[2] (a m. alt. *in* exp. videtur) — Quando . . . . faciat] Quando autem faciat aut quomodo[1] Quando autem aut quomodo id facias[2] — iudicem . . . volo] iudicem me non doctorem esse uolo[1] iudicem esse me non d. volo[2].

§ 118 dial. m. sit instr.] a dial. modo instr.[1] dial. modo sit instr.[2] — philos.] philosophye – ac] et — de morte] de more[1] de morte[2] — de bonis r. aut m.] de bonis r. an m.[1] de nouis r. aut m. —

[fol. 105r *uitiis nichil* cet.]

officio . . . . vol.] offitiis nichil de vol.[1] offitio (v. l.) nihil de dolore nichil de uol.[2] — sed ieiunius] et iei.[1] sed iei.[2] — inquam] unquam[1] inquam (v. l.)[2] — explicari] explicate[1] explicari[2].

§ 119 dicat aut quomodo] dicat[1] dicat aut quomodo[2] — Per.] Pericle — phys. quidem] phisicorum *quidem* — cael.] celestibus — referet] refert.

§ 120 Cumque] Cum[1] Cumque[2] — ne haec] haec[1] ne haec[2] — quotidie] cotidie — Quid est enim] Quid enim est —

---

*) Nonnunquam, ab utra manu superfluum voc. expunctum sit, parum liquet.

